

defectum solutionis iam dictae pecuniae et propter nova dampna praedictis sanctimonialibus per vos illata, appellatione vestra non obstante, ex tunc contra vos quod absit, per aliquam censuram ecclesiasticam procedere compellamur. Datum Magdeburg anno domini M°. CC°. XC. IX°. feria quarta post Nicholai.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit einem Bruchstück des Siegels des Erzbischofs an einem von der Urkunde selbst abgetrennten Pergamentstreifen.

No. 333. 1300. 10. März.

*B. Albert III. beurkundet an die Dorfbewohner zu Nuenburch Getreidezinsen verkauft zu haben, die fernerhin dem dortigen Pleban zukommen sollen.*

Nos Albertus dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus praesentibus recognoscimus publice protestando, quod censum unius mansi in villa Nuenburch<sup>a)</sup> videlicet unum maldare siliginis et unum maldare hordei incolis sive rusticis eiusdem villae pro XV marcis argenti iusto emptionis titulo vendidimus, quas ex integro persolverunt. Ita tamen quod dictum censum plebano eorum, qui nunc est vel pro tempore fuerit, tribuant annuatim, ut in capella in iam dicta villa Nuenburch constructa tribus diebus in ebdomada divinum celebret officium missarum sollempnia peragendo. Ad divinum enim cultum augendum et non in suos usus convertendum ob dei et sanctorum suorum reverentiam ipsis vendidimus dictum censum. Ut autem huiusmodi nostra venditio non valeat in posterum permutari seu ab aliquo sive per aliquem infringi, praesentem litteram desuper conscriptam iussimus nostri sigilli munimine communiri. Datum in claustro Buch anno domini M°. CCC°. VI°. Idus Martii, pontificatus nostri anno quarto, praesentibus domino Theoderico abbate, Rudolfo priore, Vrowino cellerario monasterii in Buch, Herbordo custode Wrzinensi, Conrado plebano in Schirma nostrae curiae capellanis et aliis quam plurimis fide dignis.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden; das Siegel ist abhanden gekommen.

a) Nauberg, Par. Zschoppach.

No. 334. 1300. 19. Apr.

*B. Albert III. bestätigt den von seinem Vorfahr Bernhard mit Zustimmung des Capitels bewirkten Verkauf der Stadt Pirna mit allem Zubehör an den K. Wenzel von Böhmen.*

Nos Albertus dei gratia Misnensis episcopus harum serie notum esse volumus tam praesentibus quam futuris, quod nos venditionem civitatis Pirn cum castro ibidem nec non cum hominibus, villis, agris, montibus, planis, silvis, theloneis, fluminibus, aquis, redditibus, utilitatibus, iuribus et pertinentiis universis ad civitatem et castrum praedicta spectantibus factam olim per bonae memoriae dominum Bernhardum episcopum Misnensem praedecessorem nostrum de consensu et voluntate decani ac capituli ecclesiae nostrae Misnensis excellenti domino nostro domino Wenczlao illustri regi Boemiae, duci Cracouiae et Sandomeriae marchionique Moraviae pro quatuor milibus mar-